

A30


2<sup>o</sup> P. or. 14

18 (A30)

L. Sime. 4


Reticulo

Una ratione 80 pudiacione S. Francisci Savii  
adfectum fecit, ab ipso R. P. Caspero Lüster  
Sectio fess confirmit, cuius in Maximo opere  
de officiis statim in Insula Saviana



2° P. or. 14


W.A. W.



# RELATI<sup>O</sup> SEPVL TVRÆ

M<sup>agno</sup> Orientis Apostolo S.  
Francisco Xauerio erecte in  
Insula Sanciano anno sœcula-  
ri MDCC.

Apostolicum illum magni Xave-  
rii zelum post tot emensa terra-  
rum spatia, tot peragrata maria  
in ultimo tandem oriente quieuiſe,  
beatamque illam animam, ad reci-  
piendum prosedula adeo inuinea-  
domini opera denarium, et reserua-  
tam sibi iustitiae coronam, ex San-  
ciano Sinarum Insula auocatam



ḡe

esse, orbi notum est uniuerso. Est  
hæc Insula primas inter, quæ Sinas  
petentibus ad meridionalem pla-  
gam sese offerunt, Austrum inter,  
et occasum Sinarum continentis Pro-  
uinciae Cantoniensis, (seu Quantum  
dictæ) proximè adjacens, in latitu-  
dine quidem XXI cum dimidio,  
in longitudine uero centum trigin-  
ta quatuor gradus numerans: Xang  
Chuen ab incolis dicitur, eò, quod  
illam inter, et aliam Australiorem,  
Oceanus angusto alueo sese insinuet  
Chuen enim Sinis angustum ma-  
ris brachium, duas inter terras  
se immittens, dicitur, Xang uero  
sonat id, quod superius est, unde  
et

et illa alia australior Insula Hia  
Chuen, seu inferior brachio maris  
dicitur. Complectitur Sancianum  
in circuitu tredecim circiter milli  
aria Germanica, Septentrionem in  
ter et meridiem quinq<sup>u</sup>ortum inter  
et occasum tria fere numerant incolæ  
antiquis temporibus deserta illa pe  
nitus erat, et inculta, dum Impera  
toris Sini ci (Kia çim dicti) anno  
secundo, nostra uero æra anno Chris  
ti 1523., excrescente indies ampli<sup>o</sup>  
innumerabili pene his interris populi  
multitudine, et hæc demum insula  
ab aliquot familiis incoli cœpit. Est  
ea montibus undique obsita, ita ut  
uix exiguae aliquot planities ad semi  
nanda

nandam orizam pateant, montes  
tamen densis undique arboribus et  
Syluis scatent, et quod mireris, copi-  
osce in primis uites Sylvestres occur-  
runt: Austrum inter, et occasum;  
unde altera ex parte uicinus ad mo-  
dum Sinarum continens, qui uix uno  
distat milliari Germanico, objici-  
tur, exiguis Sinus, ut cunque commo-  
dam nauibus Stationem præbet, un-  
de Liditani, qui primi has adière  
terras, prius, quam alios haberent in  
Sinis portus, aliquo tempore primam  
hic sedem fixere, erexitis interim ex-  
paleis ac arboribus tuguriis aliquot  
ad ipsa maris littora, unde suacum  
uenientibus ex uicinia Sinis quibusdā

mer

5.

mercatoribus negotia tractabant.  
Huc ergo demum etiam Magnus  
Orientis Apostolus Franciscus Xa-  
uerius, post labores illos, ac persecu-  
tiones quas Malacæ paſsus erat, et  
impeditam suam ad Sinarum Impe-  
ratorem legationem, naui Didaci  
Pereiræ adiectus est, eo obſfirmatus  
in proposito, ut quacunque demum  
via et modo adytum sibi, ac Sancto  
Euangelio, ad amplissimum Sinarum  
Imperium aperiret. Numerabatur  
tum annus Christi 1552. Impera-  
toris uero Sinici Kia çim dicti tri-  
gesimus secundus, trigesimus fe-  
re annus, ex quo hæc Insula à Sinis  
priùs habitari cœperat. Hinc quò  
uicin

uiciniorem jam sibi Sinam et uix  
unius milliaris itinere distantem  
indies contemplabatur Xauerius,  
eo majoribus exæstuabat flammis,  
sesque supremum uotorum suorum  
apicem, et ultimam, ac sat amplam  
demum, capacemque insatiabilis  
illius zeli metam jam pene obti-  
nui. Be gratalabatur, omnem mo-  
uens lapidem, ut proximum incon-  
tinentem optatus tandem aliz  
quando transitus pateret; at  
alia erat cœli dispositio, alia  
posita laborum meta; contem-  
plari ex propinquo optata ter-  
ras, tanquam alteri Moyse  
concedebatur, adytus ex inscriu-  
tabili

tabili diuinæ Prudentie aby-  
sos suis reseruabatur posteris,  
ille cum gloriosum jam certâ Betfi-  
dei certamen, cursu[m]que tot inter  
terras et maria consummâ Bet, ad  
justam recipiendam laborum mer-  
cedem uocabatur, hinc ad superos  
abiens dicto anno 1552. secunda  
Decembris circa primum galli can-  
tum uix die inchoata. Sanctum  
tanti uiri corpus eadem ad huic die  
post meridiem illius itineris socius,  
et interpres Sina [Antonius de S.  
fide dictus] unà cum duob[us] Indis,  
et uno Lusitano sepeliit ad ipsum  
mox littus maris incolle aliquo pauc-  
lulum altiore, seu pede montis, unde  
dire

directus est ad illa maris ostia,  
quæ altera Insula (Hia chuen dic-  
ta) cum continente facit, et ubina-  
ues ingredi solent, prospectus ter-  
ráque apparebat sicca magis et  
prosepulchro aptior; ibi Sanctum  
hoc depositum ad usque 27. Febru-  
arii sequentis anni quieuit, ac post-  
modum, cum nauis dicti Didaci Pe-  
reiræ sacras reliquias integras ad-  
huc repertas ad Indias secum auehez-  
ret, ne tanti memoria loci periret,  
dictus eius socius Antonius de S.  
fide, lapides aliquot in rei monumen-  
tum congeßit, deinceps uero anno  
Christi 1640 Imperatoris Cumg  
Ching, ultimi ex familia Sinica Ming  
dicta

dicta, duodecimo, collegium Macaz  
ense Petram sepulchralem 5. cubitos  
fuiicos supra terram eminentem ibi  
dein posuit, cum litteris sinicis una,  
hinc inde et Europæis, ibi sepultum  
fuisse S. Franciscum Xauerium, Oriens-  
tis Apostolum, contestantibus. Non  
in multis hoc monumentum stetit annis,  
cum suspicio oborta est sinis incolis,  
Lusitanos ibidem sat grandem the-  
saurum deposuisse, atque id Europæ-  
as litteras, ipsis ignotas, loqui, si-  
nicas uero ad aliquem solum præ-  
textum additas esse, ut ipsos hoc  
secretum lateret securius; quare,  
argenti cupiditate ducti; dictam  
dejecere petram, et omnem undiq-

incircitu terram ad senos circiter cu-  
bitos sinicos effodere; at demum, ubi  
sua sese delusos uidere, expletâ rur-  
sum humo fôßâ abiérunt, relicta inui-  
cinia, quo eam ab jecerant, petra sepul-  
chrali; quæ cum ibi per annos aliquot  
contempta jaceret, interim, ut ipsi  
quidem nobis incolæ paßim narra-  
uere, cælum injurias uenerabili sepul-  
chro illatas vindicare uelle apparebat,  
neceßarias terræ illi pluuias dene-  
gans, unde incolæ ad supremam planè  
rerum inopiam adigebantur. Verum,  
quod mireris, ipsimet gentiles has, quas  
a cælo patiebantur, pœnas, nulli alteri  
adscribabant criminis, nisi, quod sacrilez-  
gas Sancti cuiuspiam uiri sepulturæ

manus

manus inferre eBent ausi, summis  
expetentes uotis, ut Europæa aliqua  
nauis appelleret, quæ denuo hunc sibi  
aduenam ex Europa Sanctum propri  
tiaret. Hoc rerum in statu anno Chris  
ti 1688. Macaensis nauis, quæ nouum  
urbis illius præfectum (Andream Coz  
elium dictum) unà, et P. Philippum Caz  
roßium, Societatis IESV sacerdotem,  
uehebat, irruentium uentorum turbines  
fugiens, has intra Insulas ad tempus sub  
stitit. P. Caroßius oportunam udeo occa  
sionem nactus, obtenta ab alia uicina  
nti Anglica paruula scapha, mox ad  
littus descendit, locum Magni Orientis  
Apostoli sepulturâ insignem inquitu  
rus unà, et debito honore prosecuturus  
breui

breui etiam uoti compos factus est ipsi-  
met enim, qui ad littus uenerant, incolæ  
ex nutibus facile aduertentes, ab adue-  
na Europæo Sancti illius. ibidem se-  
pulti, tumulum inquire, eum statim  
in locum Patrem deduxere, qui ingenti  
inde affectus solatio, mox ingenua pro-  
cidit, honoranda adeò uestigia exos-  
culans, postmodum uero, ad iuuantib  
etiam Siniis, quantum lieuit, terram illam  
sylvestrem iam iam purgauit, et suam  
denuo, quæ in uicinia jacebat, Petram,  
mundatam pariter, ac renouatis im pri-  
mis litteris, sepulturæ restituit, altero  
insuper die erecto altari sacrum ibidem  
**M**i<sup>ss</sup>a sacrificium, a<sup>ss</sup>istentib<sup>us</sup> **L**u-  
sitanis, Deo obtulit, atq<sup>ue</sup> hisc non mi-  
nus

nūs ipsi præcipiè Sanciani incolæ læta= bantur, ita quippe iratum sibi hactenus cœlum procul dubio jam propitiatum certò sperabant. Et sanè expectationi successus respondit, ubi enim suus uenerabili sepulchro cum petra hac restitutus est honor, exinde jam optatæ campis pluviæ non amplius de- fuere. Vbi uero deinceps dicta nauis Macauum tenuit, et recentia haec una noua exuicinia attulit, ex stimulati omnino sunt complurium animi, ut tan- dem post unius jam et medii lapsum sœculi tanti uiri, ac Orientis Apostoli, ea in insula sepulchrum debito honore coleretur, summae tamen offerebant se se difficultates, unde pia haec licet plurimo=

rum uota, uix non fore impossibilita  
credebantur, ea enim Insula, cum sit priz  
mas inter mari largo exposita, usque  
modò fere latronum sedes erat, ut ita nec  
securè quemquam moliri quid posse, nec  
et si demum summis non sine periculis, et  
laboribus, aliquid efficeretur, multo id  
tempore persistitum credebatur, quin  
breui denuò cipyratis Sinis destrueretur.  
Nihilominus, ut melior saltē, quæ pos-  
set, ad hoc opus dispositio fieret, anno hu-  
jus saeculi 93. mense Nouembris, P. Caro-  
lus Turcotti, tum Missionarius in Foxan,  
oppido sinico Provincie Cantonensis, in  
uicina Ciuitate maritima, Sin Hoc dicta,  
unde aliquod cum Insula Sanciano, quæbi-  
dui fere itinere inde distat, per mare est com-  
mercium,

mercium, nouam Mißionem non sine la-  
boribus eximius, accuariis initio gentilium  
contradictionibus, aperuit, et Ecclesiam  
cum domo sat ampla à fundamentis ere-  
xit, quam proinde Mißionem, et Eccle-  
siam, jam tunc S. Xauerii dici uoluit.  
Demum anno 98. nauis Gallica, Am-  
phitrite dicta, quæ cum nouis munerib⁹  
et Mißionariis Sinas petebat, ubi uaz-  
riè illa inter maria, ac ignotas sibi vias,  
periclitabatur, uouit Deo, se, si in columnis  
ad Sinicum perueniret Imperium, erecto  
aliquo monumento Magni Orientis  
Apostoli sepulchrum exornaturam;  
et ecce breui' se uoti damnatam uidit,  
ubi ipsa Sancianum Insula prima in  
conspectum uenit, ac inde dirigentibus

suam

Suam uiam Sinis, Insulæ hujus incolis,  
prope ipsum S. Xauerii sepulchrum  
anchoras jecit interim, dum melioz-  
ibus uentis portum Cantonensem  
intraret, hic prima mox cura fuit  
Europæis illis adueniis, ut suo se uoz-  
to exsoluerent: at uero demum cum  
tempore eæ succèsiuè sc se opponebant  
difficultates, quæ illos sanè desponz-  
dere animis, mutaréque propositum  
faciebant, diuisa, quam antea congez-  
berant, pecuniâ in pauperes, aliosq;  
pios usus. Verùm alia prorsus erat  
P. Caroli Torcotti jam Prouinciaz-  
rum harum Visitatoris mens et inz-  
tentio. Cùm enim hoc in primis opus  
ad nostram hanc Prouinciam Iappoz-  
nicam

nicam spectare probè sciret, ob firmatus  
penitus in eo erat, ut quod initio jam aper-  
tæ præfatæ Missionis, et Ecclesiæ in  
Sin Hœi sibi proposuerat, opus tandem  
perficeret, accedebant uariæ ipsius met.  
Adm' R. P. Generalis Thyrsi Gonzaz-  
lez, cui hoc pariter consilium is antè  
communicauerat, litteræ, quæ id ipsum  
maxime urgebant; sat ampla insuper pro-  
mittebatur eleemosyna, quam hunc ad-  
effectum, exornandi scilicet in Insula San-  
ciano Magni Orientis Apostoli sepulchri,  
et stabiliendæ, ac perficiendæ recens erec-  
tæ eum in finem Missionis ipsem et P.

Carolus petierat à nobili quodam His-  
pano, qui negotiorum causâ ex Peruuio  
Maniliam, et inde, ad metropolim Can-  
toniensem

riensem peruererat. Petitum est  
ergo demum, et obtentum à P. Ioan-  
ne Claudio Visdelou sub princiz-  
pium hujus anni sæcularis 1700.  
diploma publicum ab ipso summo  
duarum Prouinciarum, Cantonis,  
et Quam si præsideſ quem Cum gto  
Sinc nominant ) diploma, utita publiz-  
ca authoritate id opus aggredi unā, et per-  
ficere poſtemus, auxilium insuper suum  
et fauorem promittebat alter ex præcipuis  
hujus Prouinciae militum ducibus (quem  
ex officio ſuo Cung ping compellant )  
jam que res utcunque bene dispositæ uiz-  
del entur, ſoli, qui remoram ponerent,  
erant pyratæ Sincæ, qui nimium ſane  
hoc præcipue anno iſtamaria infesta-  
bant,

vant, ita ut nullæ iam naues portubus  
egredi auderent; quare demum ipsim  
uniuersim supremi militiæ duces suis  
cum copiis et nauibus (id, quod eis ex=  
officio incumbebat) intestinis hisce  
hostibus obuiam jere, et paucos intra men=  
ses, complurib⁹ captis, interemptis dele= =  
tisq; aliis, optatam denuo tranquillitatem  
sub ipsum anni Sini finem, qui in dī. Fe= =  
bruarii inciderat, restituere. Reb⁹ itaq;  
jam compositis, mox in ipsis anni noui Si= =  
nici principiis P. Carolus Torcotti, harum  
Prouinciarum Visitator; me inciuitatem  
Sini Hoc; ubi antea Ecclesia jam posita  
erat, abire iubet, tum ut christianis illis  
Sacramenta administrarem, tum ut neces= =  
saria pro reliquo itinere præpararem: sacra  
+  
-  
tum

tum ibi Lymphâ abluti sunt ultra uiginti,  
dum interim una postmodum hebdomade  
P. Ioannes Laureati, alter itineris socius,  
cum opificibus, et uariis ad intentum Opis  
faciendum necessariis, subsequitur: unâ  
et binas naues bellicas, quæ eundem hono= rit  
ris pariter, et securitatis gratiâ comita= rit  
rentur, simûlque reliquis mandarinis omni= rit  
quo possent, meliori modo commenclarant  
is qui armis Cantone præsidet, submisit:  
unde et postmodum similes naues toto  
itinere nunquam defuerunt, et copiosos  
semper, quo cunque deuenimus, mandari= rit  
norum fauores experti sumus. In ipsis  
mox initii apparebat, magnum hic operu= rit  
ri Xauerium, et uelle omnino cœlum, ut,  
quod tot hactenus uotis ex petebatur Op<sup>o</sup>,  
perfici

perficeretur. Decimâ igitur Martii  
ex Civitate Sin Hoei ad aliam diei  
itinere inde distantem, Sin Ning  
dictam, pereximus, quod ubi peruentum,  
mox obuiam misi, qui nos, et nostram  
supellectilem, ad a Bignatus nobis cedes  
deferrent. Subinde, ubi circa noctem ci-  
uitatis hujus gubernatorem conuenimus,  
sumpta uario ex discursu occasione, cum  
S. Legis mentionem inferremus, ecce tibi,  
is quam primum Sancto crucis signo more  
sinico se signare, et orationem dominicam  
recitare incipit, paulò post resciuimus, eum  
Pe Rini quoniam baptizatum, tota cum  
familia Christianum esse, unde et postmo-  
dum nobis S. Imagines domi expositas  
monstrabat, et inter alia Crucem Carauaz

censem

censem, sacrum aliquod numisma, librum  
Orationum Sinicarum, ac imprimis historiam  
Sinicam uitæ, et gestorum S. Xauerii, jam  
antea impreßam, ex petebat. Sequenti die  
sumptibus publicis, terrestri itinere hinc  
ad præsidium militare mari proximum,  
Quang Hai dictum, deducti sumus, comiz  
tabantur nos in itinere ultra septuaginta  
homines, tum milites, tum onerarii, ubi insuper  
ad oppidum aliquod deueniebatur, obuiam  
præcedebant armati alii, cum omnino shoz  
noris exhibitione recipientes. Decima 4<sup>a</sup>.  
Martii circa meridiem in oppidum Quang  
Hai (quod præsidium militare est in confi-  
nibus continentis Sinici) peruenimus: in  
ipso mox itinere obuios habuimus unum, à  
Supremo ibi militum præfecto delegatum,  
et

et centurionem alterum, qui hospites exci-  
piebant, inde, ubi assignatum nobis hospitium  
ingressi sumus, mox militum praefecti uni-  
uersim omnes nos salutatum uenere, sua  
largè deferentes obsequia, id quod deinceps  
Opere ipso uberiori ad huc demonstrauere,  
mox enim sequenti die duas naues bellicas  
sat grandes præparauere, quibus nos in San-  
cianum Insulam, quinque circiter milliaribus  
Germanicis inde distantem, transuererent,  
comitabatur nos Chiliarcha unus, et prope  
septuaginta milites, designatus item centu-  
rio aliis cum decem militibus, qui tototem= ○  
pore, quo Sanciani moraremur, nobis as-  
sisteret diurnas nocturnasq; uigilias ±  
ageret, et sedulam nostri in omnibus, ne  
quid deficeret, curam haberet; atque ita  
demum

demum fauente cælo, duce Sancto, 15.  
Martii circa uesperum Sancianum  
appulimus, ubi in conspectu Insulae stetim-  
us, mox ex longinquo ad huc locum se-  
pulturæ, et erectum lapidem nostri nobis  
milites monstrauere, postquam uero inter-  
ram descendimus, pleriq; nos comitabantur  
ad honorandam Sancti sepulturam, ad  
quam ubi peruenimus, factâ priuâ reueren-  
tiâ degeneribus, more sini consueto, et breui  
oratione, tum ibidem ad circumstantes  
oportunam de S. fide adhortationem fe-  
cimus, quam ipsi sat benevolis excipiebant  
auribus, inde ad uicinorem pagum, qui  
unius circiter milliaris Germanici itinere  
inde distabat, pereximus, pernoctaturi  
ibi, dum sequentibus diebus res melius  
dispo-

disponerentur; domus interim in locum  
hospitii seruitura ex dispositione Man-  
clarini de Quang Hai oblata est, cete-  
rum hujus Insulae incolae non multum ad-  
uentu nostro lætari uidebantur, ut pote-  
gens sylvestris, et sat inculta, de quorum ui-  
uendi consuetudine, suos inter montes ac  
sylvas sylvescente pariter, ac ad barbariem  
potius declinante, ipsim et, qui continentem  
incolunt, uicini. Sine, multum hactenus  
conquerebantur, quin et plerique horum  
latrocinia exercere, ac data occasione,  
transiunt ibi quandoq; naues de præda-  
ri consueuerant, et quamuis mox præci-  
pui ex illa plebe, quos illi populi duces  
appellant, uocati, juxtaque uenirent, nobisq;  
reuerentiam sinis consuetam exhiberent,  
bene.

bene tamen apparebat, haud adeò cœquis  
eos nos intueri oculis. Sequenti mox  
die cum iisdem, qui nos ad uxerib[us] binis  
nauibus bellicis, coniitante Chiliarcha,  
**P. Ioannes Laureati** in Ciuitatem Sin  
Hoei maritimo itinere demio reuersus  
est, tum ut Missionem ibidem ad temp[us]  
faceret (unde deinceps rursum prope qua-  
drageni sacrum baptisma accepere) tum  
etiam, ut nece[ss]aria nobis profaciendo  
opere, ac calcem imprimis, quæ unicè deerat,  
inde submitteret: ego uero cum iis, quos  
adduxeramus, operariis, et binis una fa-  
mulis, ac decem, qui nos custodirent, mili-  
tibus Siniis, suoq[ue] una Centurione, in Insula  
remanli; et mox hoc ipso die ex reliquis  
etiam pagis, qui seni hic omnino numeran-  
tur

tur, incolæ uniuersim à meis militibus  
sunt conuocati, illisque Mandarinorum  
de Quang Hai mandata exposita, quæ  
erant, ut nobis commodam aliquam ha-  
bitationem inuicinia ipsius sepulchri e-  
rigerent, ac etiam toto, quo ibi moraremur  
tempore, quo quis ex pago seni, id est uniuer-  
sim 36, mutatis indies uicibus, uigilias  
obirent, nosque à pyratarum, si qui forte  
uenirent, insultib⁹ defendenderent. Sequenti  
uerò mox die stationem nostram desi-  
gnauimus eam ipsam uiciniam, ubi sua  
quondam Lusitani, cum illis hyberna-  
rent tuguria habebant, ex parte scili-  
cet opposita sepulchro, indeq; ternis cir-  
citer milliaribus Italicis (si terra iter fa-  
cias) distante, in colle littori uicino, unde

古

am =

amplius est per mare prospectus, ibitria  
nobis erecta sunt tuguria, nobis unum,  
operariis alterum, militib<sup>z</sup> tertium, qui  
bus deinde succēsū temporis quartum  
addidimus, in variis occasionib<sup>z</sup> seruitu-  
rum: uigilie pariter incolarum diuisae  
sunt, in ipso quidem littore maris teneae,  
ex altera uero Insulae parte, qua amplior  
est per mare Septentrionale prospectus,  
una, reliqua bince nobis circa collēm as-  
sistebant. Duo ins<sup>f</sup> per quae cfferebant,  
tentoria milites pro stationibus suis ex-  
plicauere in ipsa collis fronte, qua mare  
respicit. His itaq<sup>z</sup> dispositis, demum  
29.<sup>a</sup> Martii, die Magno Sinarum  
Patrono S. Iosepho sacra felix operi  
initium dedimus, celebrato imprimis

S. mis-

S. Mißæ Sacrificio, cui operarii (qui  
omnes christiani erant, et à nobis Can-  
tione adducti) abistebant, ac deinceps  
designato totius fabricæ circuitu, et di-  
visione. Est locus sepulturæ, ut diximus,  
prope littus in loco aliquantum eminen-  
tiori, et qui à longè et iam uel maxime  
conspicuus sit. in ascensu montis sat alti,  
et præcipitis, ex parte Indiæ occidentali,  
qua continentem Sinicum respicit. Ipse  
sepulturæ locus directè ostium maris, quib⁹  
naues intrare solent, opponitur, ut adeò  
sat longè adtria circiter millaria Ger-  
manica uideri queat, primusque nauibus  
exteris, Sinas petentibus, in conspectum  
ueniat, si quidem non per mare amplum  
ex parte Orientali, sed inter insulas pro-  
peter =

peteram, ex parte occidentali, iter agere  
uelint, id quod Macaenses imprimis  
naues consuevere; planities hic erat exiz-  
gua, et uix amplior, quam quanta ad  
Sepulturam unius sufficeret, cætera  
scatebant arborib⁹ spinis, et dumetis,  
subeundo per ascensum montis sat as-  
perum, et præcipitem: unde prius, quam  
aliquid moliremur, necesse omnino erat,  
sufficienti ex parte ipsius montem cauare,  
et planitiam ad intentum op⁹ accommodam  
perficere, id quod mox sequentib⁹ dieb⁹  
aggreſsi sumus, quamuis multiplici res  
labore, ac eximia difficultate non care-  
ret, excindenda enim imprimis erant  
copiosa arbusta, suisque una cum radicib⁹  
euellen da, quæ cum spinis undiq; scate-  
rent om

rent omnia periculose admodum tracta-  
bantur Deinceps, cum ipse mons effode-  
retur, petræ et copiosæ, et sat grandis  
non nunquam magnitudinis occurrebant,  
quæ juncta partim operâ eruendæ, partim  
etiam quandoq; ui perfringendæ erant,  
singulis diebus ad opus nostrum proces-  
simus sub ortum solis, oblato tamen sem-  
per ante incruento sacrificio, ut ita pro-  
pitiis superis laboraremus, milites, et  
ex incolis non nulli cum armis ac sclopis,  
quocunq; tempore iremus, comitabantur;  
(id quod eis seuerè à suis Mandarinis  
mandatum erat) ut nos à pyratis, si qui  
irruerent, defendarent: prandium sub  
obuia arbore, ubi opus faciebamus, præpa-  
rabatur, pro cœna sub solis occasum ad sta-  
tionem

tionem nostram ex alterâ parte reuerteba-  
mur. Dumque ita cauandæ terræ incum-  
bimus, Ecce tibi 24. Martii nauicula  
cum quinque solum hominibus appropin-  
quat, cùmq; uexillum nobis ignotum præ  
ferret, planè, ne pyratica eßet, suspecta ha-  
beri cœpit, unde quām primū milites in lit-  
tore ad defensionem se disponunt, Operæ  
uerò uicina inter arbusta suis cum uestibus  
et instrumentis auffugiunt: At paulò post  
cognouimus, eum à Macaensib' submissam  
fuisse, ut notitiam hisce in mari bus de una,  
quæ aliquot jani ante menses ex Matilia  
aduenerat, et modo amplius non compare-  
bat, nauis, inquireret, unde et epistolas huc  
à dominis nauis illius attulerat, qui id ipsum  
nos rogabant, percunctaremur scilicet aliz-

quan-

19

quāt̄ ex h̄ orum portuum incolis, num quid  
certi de ea rescirent: at uero nechīcjam  
illa amplius multo tempore uisa erat, unde  
responsum, eam procul dubio contrariorum  
uentorum, qui præteritis mensibus gra  
Babantur, violentia ad australiores  
terras delapsam esse, nihilominus  
animi erigerentur erga **M**agnum  
**X**auerium, qui ut uiuus quondam  
perditam inter undas nauiculam, ita  
et hanc denuo es̄et restituturus; et  
promiſis deinceps euentus respondit,  
ubi uno post mense fauentibus demum  
**A**ustralis nauis h̄ic sepulchrum Sancti  
prætergresa, explosis eius in honorem  
trinis tormentis bellicis, demum **M**a-  
caensem portum tenuit. Interim tamen  
h̄ec na-

20

—

hæc nauicula Maccaum rediit, unde,  
quid Sanciani ageremus, rescitum est,  
ac intellectum imprimis, omnium fere  
rerum inopia nos laborare, (nec pisces  
enim, nec orizam, nec legumina, nec  
alia alimenta hæc Insula suppedita-  
bat, ut ita modico quandoq; et uix  
paucis aliquot ouis, contentos esse oport-  
teret) quare R.P. Prouincialis E m=   
manuel Carualius, pro eximia sua,  
et Paterna Charitate, etiam non ro-  
gatus, altero mox die eandem demuo-  
nauiculam conduxit, qua nobis de-  
neceſſariis omnibus, ita prouidit, ut  
deinceps non ad ſufficientiam ſolum;  
ſed et planè ſuperflua, poſt tres etiam  
ad huc, quibus hic ſubſtitimus, menscs  
habe-

lubere⁹ Iusserem⁹ insuper Mandarin⁹ de  
Quang⁹ Hai, ut si qua re egerem⁹, in  
cole ex suis nauibus necessaria allā  
turam mitterent, atque ita hac pariter  
uiā orizam, pisces, et alia operariorum  
alimenta comparauimus. Demum etiam

2<sup>a</sup>. Aprilis, die S. Francisco de Paula  
sacro, post uaria pericula, nauis alia de  
Sin Hoē ciuitate submissa, diūq; ex  
spectata, aduenit, cum circiter triginta  
librarum millibus calcis ad opus neces  
sariæ, unde deinceps, excavato interim  
jam satis monte, sequenti mox die par  
etes erigere cœpimus, at mox uidimus,  
allatam calcem nec medietatem quidem  
sufficere, unde multum egimus, ut idem  
nauta rediret, aliam insuper nauim cal  
ceon=

ce oneraturus: uerum irritae erant nostræ  
exhortationes, homo gentilis, priora peri-  
ricula expertus, neutiquam jam operam  
suam et Sancto, et nobis, locare uolebat,  
sua tamen non modica cum jactura, re-  
uersus enim uix unius diei itinere, nauim  
ad scopulos allisam confregit modò ua-  
cuam, quam tamen antea ad seruitium  
Sancti etiam multum onustam interma-  
iores uentorum furias, mariumque proce-  
llas incolumem tenuit, idque imprimis e-  
tiam ipsi gentiles notauerè, quinques  
omnino aliam multò minorem nauiculam  
in Quang Hai nos expediisse, quater  
itidem illam Macaensem recluisse, et  
quonuis uariæ essent temporum uicissitu-  
dines, has non securum solum, sed et pros-  
sperum, ac-

Sperum ac uelocē semper cursum tenuisse,  
illam uero solam prima mox uice infelici= ter adeo nauigasse, unde paſſim hi gen= tiles dicebant, castigatum fuisse illum hominem, eō quod in Sanctum peccasset, et suam illi operam, etiam rogatus, de= negasset. Interim tamen allata nu= per calx breui consumpta est, cumq; aliud non restaret medium, ipse de= nudo P. Provincialis nouam Macao submisit cum aliis, ad exornandam etiam fabricam necessariis; nos pariz ter post multiplicem diligentiam ua= rias in Insula ostrearum conchas congeſsimus, erectaque fornace, et cæsis lignis, ipsimet prope tridintali= brarum millia cremauimus Decima quar= ta Apri=

ta Aprilis naui bellica, à Manclaz  
rinis data, aduenit pariter aliis à  
P. Visitatore (cuius nomine et dispo-  
sitione imprimis hoc agebatur opus)  
huc submisus ex metropoli Cantoniz-  
ensi, qui et ipse uaria, quæ desidera-  
bantur, necessaria eum litteris attulit.  
Ipsi quoque de Quang Hai Man-  
darini, ac militum Præfecti, non con-  
tenti solum, ut uaria quandoq; bella-  
ria in munus submitterent, diuersis  
uicibus singuli huc adiecti nos ami-  
cè inuisere, ac postmodum hæc maria  
perlustrauere, ut ea eßent à pyratis  
immunia. Huius demum Insulæ inco-  
læ, tum beneuolis uerbis, tum amico  
tractandi modo, successiue mansues-  
cere, quin

cere, quin nos etiam amare cœpere,  
unde jam ut cunque terra ad semen= 三  
tem Euangelicam recipiendam ex  
cultu videbatur, quam pro in hilares  
spargere incepimus, nec sine fructu, bre= 一  
ui enim futuræ messis spes lætior apparuit:  
attracti demum bini initio sese in Cathe= 一  
cumenos obtulere, qui deinceps ueritate  
conuicti, et alios adduxere affines, in= 一  
struximus eos per duos circiter menses,  
Sanctæq; Fidei mysteria explicauimus,  
tandemque, cum opus nostrum ad finem  
jani iam pergeret, uigebimam tertiam.  
Maii designauimus, qua ad unum Insulæ  
pugnum discederemus, recentes hosce Cathe= 一  
cumenos sacris lymphis Christo initia= 一  
turi. Hic enim uero contentio inter ipsos  
etiam gen=

etiam gentiles esse crepit, singulis nos  
ad suum imprimis pagum conuitantibus,  
quiquam auerſabantur initio, nunc singulari  
etiam affectu complecti uidebantur.

Demum ut lis meliori, quo poſbet, modo  
decernerebus disponentibus ipsiſmet incolis,  
ita iter instituere statuimus, ut eundo, ac  
redeundo, facto aliquo circuitu, adquinquam  
omnino pagos peruenirem. Determinato  
die summo manè mox ſellæ portatiles ex  
juncis confectæ sunt, quibus ego cum meis,  
acis insuper, qui nobis abſtebat, Centurio,  
ubi terra plana eſbet, et montes ac arbusta  
permitterent, deferremur, nauicula item  
ad littus aderat, quam, ubi commodum  
eſbet, conſcencleremus; comitabantur nos  
cum Centurione ſeni milites, (reliquis  
ad custo-

ad custodiam cœdium nostrarum remanentibus) ac ipsi incolæ sat magno numero.

Vbi ad pagi unius limites deuenimus, obuios  
quam primum habuimus gentis illius seniores,  
qui more finico prostrati in terram.  
hos pitem honorifice excipiebant, deinceps  
uerò juniores in lætitiae contestatione-  
narios scelopos explodebant, id quod denuo  
repetebant, sub ipsius pagi ingressum, et ubi  
rursum inde discedebatur. Vbiq; insuper  
paratum erat et mihi, et meis coniuium,  
ac quamvis id recusarem initio, importu-  
nitati tamen clementum cedendum fuit, et  
ne rustica illorum munera despiceret ui-  
deremur, aliquid saltem de appositis de-  
libandum. Atq; ita ad quatuor omnino  
pagos processimus, et sequenti die, sat  
ante ins-

主

ante instructos, in præsentia omnium,  
qui curiosè, et cum reverentia singula con-  
siderabant, baptizauimus, tum viros, tum  
mulieres, paruulos, et adultos, viginti qua-  
tuor. Sacra hac ceremoniâ peractâ, cum  
regredi uellemus, noua denuo mota est con-  
trouersia, sexti pagi incolæ submisere quos-  
dam, multum conquerentes, quod ii soli  
despicerentur, nec cum cæteros omnes, et  
ipsos pariter inuiserem, quin unius circiter  
milliaris germanici distantia in uia, qua  
prætereundum erat, uaria exponebant  
edulia, ut, siquidem à me expeterenon au-  
derent, ut adeos pariter deflecterem, hæc  
saltē munera non recusarem; ego uiso horum  
affectu, etne aliqui minus contentire man-  
rent, quamvis perdiem amplius extende-  
retur iter

retur iter, hos pariter adiui, nec (quod  
 punctum est) sine S. legis profectu, ibi enim  
 et septem sat instructos sacris lymphis  
 abluimus, et alios reliquimus Cathecumens  
 complures. Atque ita demum post  
 triduum ad stationem nostram denuo  
 rediuimus, ubi baptizauimus uniuersim  
 ex incolis quidem insulæ triginta, ex mili-  
 tibus, qui mihi aßistebant, et in Quang  
 Hai morantur, unum, spero q̄ sancè in Deo,  
 copiosiorem multò fore meßem, tum in ipsa  
 Insula, tum in uicino pariter continente,  
 ubi recens hæc inchoata Missio brevi post  
 denuo inuiletur, certè omnes S. fidei mys-  
 teria magno audiūre cùm gustu, nec ullum  
 uidli, qui ea uel leviter auersaretur, cur  
 modò plures S. legem non amplectentur,  
 una fe-

una fereratio fuit, quod rei hactenus in=  
auditæ nouitas, animos adhuc dum ali=  
quantum suspensos haberet. At uero ubi  
modo de nostro per hanc Insulam uni=  
uersam itinere mentionem fecimus,  
merito una exigi uicetur, ut saltem  
breuem ejusdem descriptionem ad=  
damus. Numerat itaq; illa, ut di=  
ximus, sex pagos, plerumq; sat altos  
post montes reconditos, ut scilicet  
incolæ ita à pyratarum incursibus  
securiores sint, is, qui eam exconti=  
nente accedentibus, atque adeo se=  
pulturæ Sancti uicinior est pagus,  
ubi proin et nos initio diuersabamur,  
uno fere milliari germanico alittore  
distans. Pe Khung dicitur, hoc est,  
alueus aqua-

25.

aureus aquarum, ex montibus decidentium,  
septentrionalis; et numerat ultra septua-  
ginta familias, aditum per montem medio-  
cris altitudinis, qui illum inter, et mare  
interjacet. Alter pagus, sepulturæ itidem  
uicinior, uersus meridiem, Hienju compel-  
latur. à pisce quopiam, cuius nomen sorti-  
tus est, sic dictus, est is pagus ad modum  
exiguus, nec ultra uiginti habet familias  
uix dimidio milliari ab altero, et opposito  
sepulturæ littore distans, piano quidem  
itinere, aquis tamen undiq; exundantib;  
satis impedito. Hinc superato exiguo  
colle, trium circiter milliarium Italicorum  
spatiō, ad tertium pagum peruenitur, quem  
Si Khang, seu lueum aquarum occiden-  
talem, nominant, incolunt hunc sexaginta  
circiter fami-

circiter familiæ, inde uersus orientale lit-  
tus progreßo, distantia unius milliaris  
germanici, quartus occurrit pagus, Xe-  
sonn dictus à juncis saxeis, qui bini in-  
eius campis, decem etiam et amplius cu-  
bitorum altitudine, miro naturæ artifi-  
cio, conspicuntur, et hic pariter sexaginta  
fere familiæ habitare dicuntur. Demū  
Ortum inter et meridiem, post superatum  
sat altum, et adytu difficilem admodum  
montem, ad quintum pagum, Gao quon  
dictum, deuenitur; id, quo cl nostra lingua  
sublimem prospectum sonat, eo quod in ui-  
cini sibi montis apice longissimus sit per  
Septentrionale, et orientale mare prospectus:  
hic nos ultra uiginti baptizauimus, et  
hos inter eum, qui reliquorum caput cest,  
fami-

familiae h̄ic sunt prope septuaginta.  
Demum ultimus pagus, quem Chauan,  
seuinum maris, ab herba Cha nomina= 西  
tum, indigetant ad littora septentriona= —  
lia, et qua Macaenses Insulae respiciuntur; —  
situs est post montem denuo sat alz= —  
tum, et adytu difficillimum: H̄ic nos  
pariter septenos fidelib⁹ ad scripsimus,  
familiae uero uniuersim numerantur quin= —  
quaginta. Singulis his pagis sunt sui  
in uicinia campi, tum pro oriza, tum ali⁹  
pro confiendo sale: cætera omnia ferent  
montibus et syluis, agrestibus q̄ lignis sunt  
oblitæ, id tamen imprimis h̄ic commodum  
est, quod nullæ tota in Insula inuenian= —  
tur tigres, et si que fors per maria eo de= —  
feratur, exiguo mox temporis spatiō uel

pe=

perit, uel facile per infidias interimitur.  
Serpentes tamen, et uiperæ hic sunt ad-  
modum copiosi, complures ipsi peremis-  
mus, hos inter uiperam unam, quæ in-  
proximis tugurio nostro arborib' erat,  
adèo uiridis, ut à foliis, et herbis, uix eum  
distinguere possemus, colubrum alterum stu-  
pendæ sanè magnitudinis, in longitudi-  
ne decem etiam pedes Romanos exceden-  
tem, crabitiei uero tanto, quantum uix  
ambabus complecti manibus possemus  
(Sine hunc serpentem masculum appellant.)  
Ceruis item, apris, ac sylvestri imprimis  
palumbe Insula abundat: Incolæ uero  
pleriq; sunt admodum pauperes, et uix  
aliquid uicinis cum terris habet commer-  
cium, à Sinis fere ut exteris habentur, at nec

confuetum ab illis pro Imperatore tributum exigitur; nec passim etiam uel alias adire terras, ne lexercere mercimonia permittuntur, unde usque fere contentiuunt, quae ipsa sibi Insula, et vicinum mare suppeditat; uestitus illis est exiguis, sed cum aliis Sinis communis, calceorum tamen, uel tibialium, uix ullum habent usum, sed nudi pedes ad unum incedunt omnes: dicuntur eorum esse fere tria millia, personos, quos diximus, pagos dispersa. **N**os ubi ex his ad stationem denuo nostram rediuiimus, opus interim jam prope finem inuenimus. **E**st id intres omnino areas diuisum, prima et supra **ma** Sacellum habet, ubi offerri possint sacrificia, definit hoc superius in acu-

acumen, cui pro ornamento globum cœlestē  
cum pœnula cruce imposuit: ex hoc ad  
secundam uream, et ipsum sepulturæ locum  
per septem gradus descendit; quo-  
rum ultimi duo positam ibi jam ab  
antiquo petram sepulchralem hinc  
in cleambiunt, petra uero ipsa Sinicis  
una, et Europæis litteris utrinque  
inscripta est, et in fronte ex una qui-  
dem parte Crucem, ex altera uero  
Sanctissimum IESV nomen præfert.  
Litteræ Europæ in quâ Lilitana  
dicunt: Hic fuit sepultus Sanctus  
Franciscus Xauerius Societatis  
IESV, Orientis Apostolus, (ac  
paulò inferius) hæc petra fuit posita  
anno 1640: litteræ uero Sinicæ sonant:

Ex-

Extremi occidentis Societatis IESV  
 Magister S. Franciscus Xaverius Im-  
 peratoris Kia cing trige Bino secundo  
 anno abiit in cœlum mente Hybernalı.

Imperatoris Cung Ching duodecimo an-  
 no ejusdem Societatis Socii hanc petrum  
 sepulchralem posuere. Hinc uero denuo  
 post sat amplum extensum in planitiam  
 spatium per alios quinq; gradus ad ter-  
 tiam aream descensus est, ubi ingentem  
 Crucem ereximus, decem omnino pedum  
 Romanorum altitudine, quinorum uero  
 latitudine, ut ita jam, quod primum ad-  
 uenientib; ex Europâ nauibus occurrat,  
 sit explicatum Sacræ Crucis vexillum, pu-  
 blicum intestimonium, id in Sinarum Im-  
 perio jam poßeßionem cœpiſſe, ibidemq;  
 fa-

fauente Deo triumphare. Totum hoc opus,  
quod in longitudine septuaginta et amplius  
cubitos Sinicos, seu ultra nonaginta pedes  
Romanos antiquos, in latitudine uero 30  
cubitos, seu 40 pedes complectitur, exiguo  
pariete, nec plus quam quinque pedes alto,  
cingitur, qui tamen cum ipso monte per suos  
etiam gradus ascendit, ac demum sub fi-  
nem ultra octo pedes in altitudine excres-  
cit, ad auertendas pariter aquarum illu-  
tiones suum exteriori parietum, qui opus  
ambivit, pediuallum additum est, ac de-  
inceps etiam cava fossa toto in circuitu,  
per quam decidentes ex monte aquæ facilè  
deriuentur; continet denuo hæc fossa suo  
cum uallo prope tredecim pedes Romanos.  
Parietes exterius quidem colore cœruleo, ex  
lupen-

superiori uero sui parte rubro, ac interius  
albo depicti sunt, gradus mixtum ex albo  
et rubro colorem habent, planities ex arena  
et calce bene contusa unius ferè plani undiq;  
lapidis speciem præfert, Sacello demum sua  
etiam porta cum anni sœcularis, quo hoc op<sup>9</sup>  
factum est, inscriptione, uarièq; in circuitu co=  
lumnæ fictitiæ rubro ex colore sunt additæ.  
atq; adèò, quantum per officiales, locorumq;  
et temporum circumstantias licuit, meliori  
quo potuit, modo, Magni Orientis Apost.  
sepulchrum, ipsomet adjuuante, et propitio  
cælo, demum post unius amplius et dimidii  
sœculi lapsum, extremo hoc in Oriente ador=  
natum est. Opus uniuersum perfecimus se=  
cunda Lunii, moram tantam posuere tumite=  
ratæ per complures dies pluviæ, circa initium

præ=

—

præcipue **M**aii, tum defectus rerum necessariarum, ac calcis imprimis, qua cum insuma quantitate, et ultra, quam ipsi credebamus, egeremus, potiori ex parte nos ipsi eam, multiplici non sine labore, præparare debebamus.

**T**ertia Iunii **M**andarinii de **Q**uam **H**ai admoniti, denuo nauim bellicam alio cum Centurione submisere, qua rebus jam per actis, et perfectâ, trimestri omnino spatio, fabricâ, rursus ad ciuitatem **S**in **H**oei rediremus; ualediximus itaq; interim ad tempus Sancianensibus, à quib; copiosè presentibus, ad ipsius usq; littus et nauim, non sine eximiis teneri affectu demonstrationib; deducti sumus, unaq; illis paucos post menses unum denuo nastrum breui redditurum promittere debuimus? **D**einde consensâ hac nauib; breui, et felici cursu =

por=

portum de Sin Hoei tenuimus, ac inde paulò  
post Cantonem reuersi sumus. Id, quod adhuc  
imprimis cestimandum occurrit, est, quod in-  
colarum hujus Insulæ animi, efferi paulò antè,  
ac sane intractabiles, breui temporis spatiō  
adèo mansueti sint, ut ipsi etiam continentis  
**M**andarini, qui exactam omnium, quæ age-  
remus, notitiam mox habuere, summè inde  
admirarentur. Id insuper non sine spe-  
ciali cœli fauore contigiisse crediderim,  
quod toto trimestri spatio, tot intertem-  
porum aduersitates, excessiuos cestus,  
et frigora, pluuias, et uentorum nonum-  
quam furias, humiditates aëris, et sic-  
citates, omnes semper incolumes uixe-  
rimus, ipsorum insuper incolarum, et  
militum, quamuis quotidianas tanto

tem-

文

tempore, et gratuitas obirent uigilias,  
diuturna tamen nunquam fatigata sit pati-  
entia, quin è contra ulacres semper et hilares  
nobis ad finem usq; assistenterit; ita scilicet  
facilem omnia sortiuntur successum, ubi  
**M**agni causa Xauerii agitur, cuius Apos-  
tolicos labores Deus et hoc qualicunq; sibi  
exhibitò honore condecorare uoluit. Interim  
nos pariter sperabimus, respecturum utiq; im-  
primis illas, ex quibus gloriolus ad Superos  
abuit, terras, Xauerianum Spiritum, et nouella  
maxime, quæ recens sparsa sunt, S. Fidei semi-  
na, ad præcipuum S. sepulchri sui honorem,  
genuinumque cultum, benevolis ex cœlis fau-  
ribus conseruaturum, quin etiam amplius,  
breui deinceps tempore, tum hac in Insula,  
tum uicino in continente, qui Sanctæ adhuc  
Fidei ex-

Fidei expers est, in mille millia multiplicaturum. Certè lœta hujus initia nuper experci jam sumus, cùm ad defensionem et subsidium hujus Insulæ diploma aliquod à summo duarum Provinciarum Cantoris, et Quam si Præside, eo ipso, qui et priori anno pro nostro itinere ut superius recensuimus, jam unum dederat, modo denuo peteremus, quod et nostros in præmis Cathecumenos, et reliquos etiam uniuersim incolas contra injustas quorumuis oppresiones, quæ frequentes admodum hactenus erant, defenseret, et uiam deinceps nobis hoc ipso liberam semper ad eas terras aperiret. Res uidebatur admodum difficultis, et uix impetranda, tentauimus nihilominus, in magno confisi Xa-  
uerio, et quod omnes mirabamur, nūl aliud pre-  
tendentes, quam Sancti ea interra sepulchrum,  
facil-

facillimum mox ab homine gentili obtinuimus  
consensum, quin et una honorificis admo= dum  
dum litteris R.P. Visitatori respondit,  
eumque erga nos praeципuum monstrat  
amoris et reuerentie affectum, ut cum  
ante paucos menses obnegotia Cantonem ueni= z  
ret, ipsemet P. Visitatorem domi nostrae inui= z  
seret, eumque cum ex morbo decumbere audi= z  
ret, uoluit ipsemet cegri cubiculum subire,  
ibique eum amicè solari; et haec uirtutus, qui  
supremus his interris Mandarinus, duobus,  
ut ita dicam, sat grandibus regnis summa cum  
potestate presidet, ipsinet etiam Imperatori  
affinitate junctus. Obtento itaque sumo hoc fa= uore  
re, quo et Sancianensium uniuersim omnium  
animi penitus obstricti nobis jam manent, et  
sincerum nostrum erga se affectum sat clare

expe=

experiuntur, et experti una potentes X auerii  
 fauores, qui eos procul dubio, ut cœpit, ita et pro=  
 sequetur; speramus omnino, sub proximum P.  
 Ioannis L aureati (cuius zelo ea jam cum vicino  
 illic continente communis) est M ißio) eam in  
 Insulam aduentum uberrimam penitus messen=  
 fore, et eam, quam ante aliquot menses sparsimus,  
 sementem copiosissimos omnino fructus rela=  
 turam, Sanctamq; Fidem non solum per inter=  
 gram illam Insulam, sed et vicinum continen=  
 tem, que mihi ut cunque disposita videbatur,  
 paulo post uberrimè fore disseminandam.


 Gaspar Castner Soc: Iesu.



Ichnographia Sepulturæ Franciscj Kavery.  
Sanciano Sinarum Insula recens erectæ Anno 1700.

Sepetum

Orient.

Cubitus Sinicus

Meridies

15

20

25

30

35

40

Sacellum


Locus Sepultura

Locus SCrucis recens erecta



Occidens







25.

3

35

